e-codices

instigatione. quasi uoce sine sonitu persecutorum rabiem aduersus sanctos excitabat. Tribulationem uero peccatoris. manifestum malorum impietatem. qua etiam ecclesiam seruiebat. Exagitati occulti inimici insidiis. Quoniam declinauerunt in me iniquitates. & in ira molesti erant mihi. Declinauerunt iudei in christum iniquitates. quia nullam obiectorum recipere rationem. solum innocentis sanguinem sitiebant. In ira autem molesti erant ei quia licet feruida ira eos precipitaret ad facinus. domino nihil nocebant sed tantum in quandam ei molestiam. hoc est inquietudinem inferebant. Sunt et sancta ecclesia hec ipsum patitur. Declinant enim in eam reprobi iniquitates. quia dum eam uolunt persecutionibus exercere. nec quam homines ulterius modum contra eum insurrexerunt. totum pondus sue malicie in eam reclinantes. Quam et si inimicis inpugnent. molestare tamen et inquietare. non autem poterunt superare. Cor meum conturbatum est in me et formido mortis cecidit super me. Hoc ex parte assumpte dicitur humanitatis. Turbatur enim quasi homo uerus. sed diuinitatis presidio dolores omnis mortem que uincebat. Sic et sancta ecclesia in martyribus. turbatur quidem carnis fragilitate sunt armata spe et patientia superat aduersa omnia. quia sancti martyres occidi possunt. et flecti nequeunt. Sequitur. Formido mortis cecidit super me. Corde enim conturbato. consequenter hominem formido mortis inuadit. Propterea autem dixit cecidit. quia quando super christum uenit precipita periit. nihil amplius malitura. Momentanea enim christi morte. mors est superata perpetua. Timor et tremor uenerunt super me et contexerunt me tenebre. Fragilitatis humane in se exprimit effectum. Primo usque ad mortem timemus. post contremiscimus. Iam uero nimio uicinę mortis metu. quibusdam uelut tenebris mentis acies contexitur. et obcecatur. Que omnia translatiue non proprie de christo dicta. accipienda sunt. Sed et nos moraliter cum contra persequentes et affligentes conturbamur contexunt nos tenebre. Hec dilectio lux est. odium uero tenebre. Iohanne dicente. Qui odit fratrem suum. in tenebris est et in tenebris ambulat. ergo. Sed ne dilectio in nobis turbetur. et tenebre odii. oculum mentis obscurent. Et dixi. Quis dabit mihi pennas sicut columbe. et uolabo et requiescam. Christus dominus dispensationem sue passionis celerius implere. et ad dominum patrem ascendere cupiens. optat dari sibi pennas columbe. Ubi considerandum. quod non pennas aquile. non accipitris siue aliarum auium que multo sublimius et celerius uolant. sed columbe pennas sibi dari expostulat. quia hec auis innocens. et a malitia fellis est aliena. In cuius specie spiritus sanctus super dominum baptizatum apparuit. ideoque digne huius pennas sibi dari querit. Alio intellectu columba propter osculum per hoc. dilectionem designat. Penne columbe designant uirtutem ipsius dilectionis. et desiderium soluendi uinculo carnis. et esse cum christo. Orat ergo ecclesia dilectionis uirtute plena. ut dentur ei penne columbe. quibus subleuata terrena forte deserat. et ad uidendum eum quem desiderat perueniat. In quo ueram se habere requiem sperat. Ecce elongaui fugiens et mansi in solitudine. Dominus christus inuidiam iudeorum contra se inardescere uidens. sicut marcus euangelista dicit. abiit in desertum locum et ibi morabatur. Siue elongauit et mansit in solitudine. quia recedens a iudeis. mansit in solitudine gentium. que a deo per idolatriam derelicte erant. Ecclesia quoque sancta elongatur fugiens in solitudinem. quando corde secum multiplicis seculi et carnalium desideriorum subtrahit. & quietem mentis tamquam solitudinem appetit. Et expectabam eum qui saluum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Patris se dicit expectasse presidium qui per diuinitatem saluat cum patre. ut homines per id discant proprie diuinum auxilium presumere et eius auxilium expetere. Sed et sancta ecclesia inter huius seculi turbines eum se dicit expectare. qui prior eandem pertulit tempestatem.

Cui contrarium iudei furerent. et suus illum discipulus tradet. Precipita domine diuide linguas eorum. Imprecatur dominus iudeis salubriter. ut precipitentur a superbia sua. qua se male erexerant et diuidantur lingue eorum. que contra christum conspirauerant. ut nequeant implere quod uolunt. Hoc autem factum est. quando falsa eorum estimatio uel testimonia non erant conuenientia. Rogat ecclesia ut lingua hereticorum diuidat in uarias sectas. ut qui unitatem fidei tenere noluerunt. diuisi contrariis sibi erroribus nec in semet ipsis ullam possint habere concordiam. Quoniam uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate. Ciuitatem uel mundum dicit in maligno positum. uel hierusalem in qua iniquitas et contradictio feruebat.

Hoc autem superioribus iungendum est. Ideo elongaui. et mansi in solitudine. Quoniam uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas. Hoc exponit scelera. que in illa ciuitate fiebant. die inquit ac nocte. id est omni tempore circumdabit eam iniquitas. ut quantum muri se in altum perduxerant. tantum se illorum malitia superba obstinatione protenderet. Muri autem ciuitatis. sunt capita. id est nobiles. quos iniquitas et circumdabat. et desuper eorum capitibus imminebat. Labor & iniustitia in medio eius. hoc est in plebe et populis. quia principes uelut

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 116 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/116)